

Stellis fixis, oibus obseruatum fuit: Neccessaria ratiocinatione concluditur, eas moueri præcise super polos Zodiaci, & secundum circulum Zodiacum; Hoc enim posito, describent omnes Stelle ad motum ab occasu in ortum circulos parallelos ipsi Zodiaco, æqualiterq; semper ab eodem distabunt.

PROPTER QUAE PHAENOMENA ASTRONOMI Motum trepidationis stellis fixis attribuerint.

QUONIAM vero supra dictum est, Stellas fixas non solum duplici illo motu, quorum vnus est ab ortu in occasum, alter vero ab occasu in ortum, moueri, sed habere etiam proprium motum accessus & recessus, quem trepidationis dicunt: ostendendum nunc est, que phaenomena, apparentique Astronomos coegerint, vt hunc motum in caelo ponerent. Primo ergo obseruarunt, Stellas, fixas inæqualiter incedere ab occidente in orientem; Nunc enim velocius, nunc tardius, nunc nullo pacto moueri in Zodiaco videbantur, nunc vero retrocedere ab oriente in occidentem, præter illum motum diurnum, & eandem nibilo minus distantiam a centro mundi habere. Quare dixerunt eas moueri a septentrione in austrum, & e contra, vt supra declaratum fuit in motu illo accessus, & recessus. Propter hunc enim motum accidit tota ista inæqualitas motus stellarum fixarum, vt facile intelligi potest ex aliquo instrumento materiali. Hanc quoq; Astronomi asserunt esse causam, quod tam variæ opiniones exorta sint de quantitate, siue periodo motus stellarum fixarum ab occidente in orientem. Rursus animaduertunt, maximam solis declinationem variam extitisse in diuersis temporibus, nunc scilicet maiorem, nunc minorem, vt in secundo capite dicemus; Quam ob rem coacti sunt admittere hunc motum trepidationis, vt huius varietatis in maxima Solis declinatione possent reddere causam; Posito .n. hoc motu, sequitur octauam spheram modo a septentrione in austrum, modo ab austro in septentrionem declinare, & ex consequenti duos tropicos in orbe Solari aliquando propinquiores fieri Aequinoctiali circulo, aliquando vero magis ab eo distare, vt in theorica octauæ spheræ explicatur. Postremo obseruatum fuit ab illis Aequinoctia accidisse, antequam Sol ad  $\gamma$  primi mobilis perueniret, aut ad  $\alpha$ , immo postquam aliquando transiit principium  $\gamma$  &  $\alpha$ . Pari ratione facta fuisse Solstitia, etiam si Sol non extiterit in principio  $\delta$  vel  $\theta$ . Cum igitur Sol necessarium